

614

pos continuatos, hoc est, non peculiare tropi species; sed tropi affectio-
nes, nimirum allegoriam, Cataphresin, Hyperbolem, & Periphrasin.
Deniq; eodem loco monet Quintilianus, plerosq; non accurate ser-
vare discrimen inter tropum & figuram. Qua eadem responsione &
nos utimur, si quis obiecerit, alios etiam sive Rhetores sive Gramma-
ticos non satis exquisitè disputantes. Neq; movemur exemplis Pesca-
torianis, quæ ipse putat esse tropica: Duos erigere digitos, pro jurare;
habitare in tentoriis, pro esse pastorem, & similia. Singula enim ver-
ba & tota oratio propriè accipiuntur. Qui enim corporale iuramen-
tum præstat, erigit duos digitos, quæ est solennis ceremonia iurantiũ.
Quemadmodum in Academicis promotionibus iuramentum præsta-
tur, attingendo digitis sceptrum Academia. Sic prætor frangens bacu-
lum in iudicio, hac ipsa ceremonia testatur latam esse sententiam de
reo condemnando & puniendo. Vbi tropicum nihil est, sed omnia &
singula verba retinent nativam suam significationem. Idem igitur
iudicium est de aliis similibus exemplis.

80. Speciosa nonnullis videtur illa objectio, quando conse-
quens dicitur, & intelligitur antecedens, vel contrà, ut si dicam, vi-
disse me sanguinem large fluentem ex alicujus hominis corpore: quo
ipso innuo fuisse eum graviter vulneratum. Sed responsio facilis &
expedita est, non ibi tropicè unum poni pro altero, sed Logicè unum
concludi ex altero, sicut ex fumo colligitur adesse ignem, &c.

81. 4. Metonymia illa Sacramentalis secum ipsa conflicta-
tur. Nam primò explicari non potest ab ipsis illius autoribus, ut vel
arti Rhetoricæ conveniat, vel Logicis fundamentis conformis sit, vel
respondeat naturæ sacramentorum, adeoq; firmo quodam stare loco
valeat. Quando enim postulatur metonymia illius expositio, res ipsa
ostendit tropum poni in prædicato. Sic enim Calviniani omnes docet,
panem esse signum sive figuram & typũ corporis Christi. Et hanc sen-
tentiam affirmant contineri in illa propositione: Hoc est corpus
meum. Unde constat metonymiam reponi in voce corpus. Deinde
quamprimum propositiones sacramentales paulisper inflectuntur,